BREVIARIUM SALISBURGENSE

Salzburg, um 1475

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8456
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

In illo tempore Dixit ihesus turbis iu-
deorum et principibus sacerdotum
Quis ex vobis arguet me
de peccato Si veritatem dico quare
vos non creditis mihi Qui ex
deo est verba dei audit. pro-
pterea vos non auditis. quia
ex deo non estis Et reliqua. Gre-
gorii Pensate fratres karissimi
mansuetudinem dei relaxare
peccata venerat et dicebat Quis
ex vobis arguet me de peccato
Non dedignatur ex ratione os-
tendere se peccatorem non esse qui
ex virtute divinitatis poterat
peccatores iustificare Sed terribi-
le est valde quod subditur Qui
ex deo est verba dei audit.
propterea vos non auditis quia
ex deo non estis Si enim ipse
verba dei audit qui ex deo
est. et audire verba dei non
potest quisquis ex illo non est in-
terroget se unusquisque si verba
dei in aure cordis percipit. et
intelliget unde sit Tu. R.
Tota die contristatus ingredi-
ebar domine quoniam anima mea comple-
ta est illusionibus Et vim faciebant
qui querebant animam meam V. Et qui
inquirebant mala mihi locuti sunt
vanitates et dolos tota die me-

ditabantur Et Celestem pa-
triam desiderare veritas iubet
carnis desideria conteri mun-
di gloriam declinare aliena non
appeti. propria largiri Penset
ergo aput se unusquisque verum
si hec vox dei in cordis eius
aure convaluit et quia iam
ex deo sit agnoscit Nam sunt
non nulli qui precepta dei nec
aure corporis percipere dignantur.
et sunt non nulli qui hec qui-
dem corporis aure percipiunt
sed nullo ea mentis desiderio
complectuntur Et sunt non nulli
qui libenter verba dei suscipi-
unt ita ut etiam in fletibus
compungantur. sed post lacrima-
rum tempus ad iniquitatem
redeunt. hii profecto verba
dei non audiunt qui hec ex-
ercere in opere contempnunt.
Tu R. In proximo est tribulatio
mea domine et non est qui adiuvet
ut fodiant manus meas et pedes
meos Libera me de ore leonis
ut narrem nomen tuum fratribus meis
V. Deus deus meus respice in me quare
me dereliquisti longe a salute mea.
Vitam ergo vestram fratres
karissimi ante mentis oculos re-
vocate. alta consideratione per-